

655 *MI.* sic est. *AE.* Miletum usque obsecro? *MI.* ita.

*AE.* animo malest.

quid ipsae? quid aiunt? *MI.* quid illas censes? nil enim.

commenta mater est esse ex alio viro  
nescioquo puerum natum, neque eum nominat;  
priorem esse illum, non oportere huic dari.

25

660 *AE.* eho nonne haec iusta tibi videntur postea?

*MI.* non. *AE.* obsecro non? an illam hinc abducet,  
pater?

*MI.* quid illam nō abducat? *AE.* factum a vobis duriter  
inmisericorditerque atque etiam, si est, pater,  
dicendum magis aperte, inliberaliter.

30

665 *MI.* quā ob rem? *AE.* rogas me? quid illi tandem  
credit

fore animi misero quī illam consuevit prior,  
qui infelix haud scio an illam misere nunc amet,  
quom hanc sibi videbit praesens praesenti eripi,  
abduci ab oculis? facinus indignum, pater!

35

670 *MI.* qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?

quoi quando nupsit? auctor his rebus quis est?  
quor duxit alienam? *AE.* an sedere oportuit  
domī virginem tam grandem dum cognatus huc  
illim veniret exspectantem? haec, mi pater,

40

675 te dicere aequom fuit et id defendere.

*MI.* ridiculum! advorsumne illum causam dicerem  
quoi veneram advocatu? sed quid ista, Aeschine,  
nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid est?